

[141]

Postremae particulae huius distinctionis brevis ac dilucida subdivisio, in qua quidem Magister simplicitatem divinae essentiae, per respectum ad creaturas, conatur patefacere.

CREATURA QUOQUE etc. Hic magister ostendit divinae essentiae simplicitatem respectu creaturae spiritualis, quae est anima rationalis, et dividitur in duas partes, quia primo ostendit animam rationalem esse compositam, et in se aliquo modo esse multiplicem et mutabilem. Secundo e contra concludit divinam essentiam totaliter esse simplicem. Secunda ibi, Deus vero, et sic etc. Prima in duas, quia primo ostendit quomodo anima respectu corporis quandoque apparet simplex. Secundo ostendit quod non obstante illa apparentia ipsa rationalis anima vere est composita. Secunda ibi, sed tamen nec etc. Tunc sequitur illa pars, Hic diligenter etc., in qua magister declarat divinae essentiae simplicitatem per comparisonem ad intra, et dividitur in duas partes, quia primo ostendit divinae essentiae simplicitatem in ordine ad divina attributa. Secundo facit hoc idem in ordine ad divinas proprietates. Secunda pars ibi, huius autem essentiae. Circa istum textum quaero.

Quaestio II

An anima intellectiva sit tota in toto et tota in qualibet parte?

Demum nobis patefit ex hoc quaesito, rationalem animam nulla ratione ad corporis extensionem extendi posse, licet quaelibet alia realis forma ea non gaudeat dignitate; quo fit, cum ipsa solum indivisibilis persistat, totum perficit organicum corpus, ut ne ulla quidem pars eius subterfugiat perfectionem.

UTRUM ANIMA INTELLECTIVA sit tota in toto corpore, et tota in qualibet parte corporis? Et videtur quod non, quia impossibile est unum et idem simul, et semel moveri contrariis motibus. Sed si anima esset tota in qualibet parte corporis, quod vivificat, ipsa simul et eodem tempore ad motum unius partis moveretur sursum, et ad motum alterius partis moveretur deorsum, ergo etc. IN CONTRARIUM EST Beatus Augustinus qui 6. De Trinitate ait, quod anima simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in unoquoque corpore, et in uno toto tota anima, et in qualibet parte eius tota est. Hic quattuor faciam. Primo inquiram utrum anima rationalis sit extensa extensione corporis, quod informat. Secundo dato quod non, utrum quaelibet forma corporis praeter animam rationale sit extensa? Tertio respondebo ad id, quod quaestio quaerit. Et quarto contra veritatem tertiae conclusionis assignabo aliquas instantias et ipsis respondebo.

QUANTUM AD PRIMUM, utrum anima rationalis sit extensa extensione corporis, quod informat, dico quod non, quia omne quod extenditur extensionem corporis hoc dividitur divisione corporis; sed anima rationalis non dividitur divisione corporis, quia omne quod naturaliter dividitur ad divisionem alicuius hoc etiam corrumpitur ad corruptionem eius; anima autem rationalis est penitus incorruptibilis.

Praeterea, tunc cognitio intellectiva non excederet cognitionem sensitivam, quia species intelligibilis reciperetur in anima extensa, et per consequens esset extensa, propter quod non posset ducere nisi in cognitionem rei particularis, ad quam naturaliter potest pertinere virtus sensitiva. SED HAS RATIONES quidam infringunt instantias assignando. AD PRIMUM enim dicunt quod non sequitur, dividitur, ergo corrumpitur, quia dato quod caelum divideretur, adhuc tamen quaelibet pars caeli maneret incorrupta. AD SECUNDUM dicunt quod sicut caliditas

recepta in lacte albo non est alba, eo quod albedo non sit sibi ratio recipiendi caliditatem; sic dato, quod species recipiatur in anima extensa, ipsa tamen non erit extensa; quia quantitas sive extensio non est ipsi animae ratio recipiendi huiusmodi speciem. SECUNDO dicunt ad idem; dato quod anima sit extensa, non tamen oportet quod intellectus, qui est immediate locus specierum, ut patet 3. De anima, sit extensus. Sicut enim anima secundum suam essentiam est actus corporis, et tamen intellectus cum sit potentia immaterialis non est actus corporis, sic dato quod anima sit extensa non oportet intellectum esse extensum. TERTIO dicunt, dato quod species sit extensa, adhuc poterit representare ipsum universale, quia esse singulare, directius opponitur ipsi universali, quam esse quantum, vel extensum, et tamen non obstante, quod species sit singularis, qua recipitur in intellectu, qui est res singularis; tamen ducit in cognitionem ipsius universalis, sic etc. RESPONDEO ad instantiam primam, quod dato quod caelum esset divisibile naturaliter, tunc totum caelum esset corruptibile, et omnes suae partes essent corruptibiles. Sed dato quod caelum remaneat in eadem dispositione, in qua nunc est, et tamen miraculose per Dei omnipotentiam dividatur, tunc nihil arguitur ad praesens propositum, quia loquimur de divisione naturali. Item concessa similitudine, tunc ex hac conclusione sive instantia sequitur quod una anima rationalis per naturalem divisionem fiat plures animae rationales. Nam si divideretur, et tamen partes manerent incorruptae sicut partes caeli divisi, tunc quaelibet pars animae fieret tota anima, aut totaliter frustra permaneret. Hoc enim communiter videmus in omnibus formis, quarum partes manent facta divisione totius, quod quaelibet pars fit tota forma, et dat esse totale. Illud autem haereticum est dicere de anima rationali, quae a solo Deo creatur. ITEM PRIMUM, quod dicunt ad secundam rationem non valet, quia principalis ratio eorum, qua probant animam humanam, sive rationalem esse extensam est, quia recipitur in extenso, et tamen planum est, quod extensio non est ratio recipiendi ipsam animam in materia, cum hyle sit proprium subiectum generationis, ut dicitur 1. De generatione. Sic si ratio tua aliquid valet, contra te optime concluditur, quod si species intelligibilis recipitur in extenso, ipsa erit extensa, quamvis extensio non sit ratio, qua recipitur talis species. ET PER IDEM patet quod secunda instantia non valet, quia intellectus esset extensus, si essentia animae, in qua fundatur esset extensa secundum rationem praedictam. Et quod additur, quod intellectus est virtus immaterialis, dico quod intellectus suam immaterialitatem habet ab immaterialitate ipsius animae rationalis, in qua sicut in proprio [142] subiecto immediate fundatur; cum igitur propter quod unumquodque tale, et ipsum magis; si intellectus ratione talis immaterialitatis non est extensus, nec essentia animae erit extensa. NEC TERTIA instantia valet, quia non qualibet singularitas impedit representationem ipsius universalis, sed talis singularitas, puta situialis et extensa, talis enim singularitas implicat conditiones individuationis, puta hic et nunc a quibus abstrahit ipsum universale. Praeterea, primam conclusionem probo tertio sic. Nulla forma super seipsam conversiva est partibilis, vel extensa; quia sicut ait Proclus 15. propositione, omne ad se conversivum est incorporeum. Et in Commento eiusdem propositionis dicitur sic: Non enim totum toti copulatur partibile per partium separationem aliis alibi iacentibus, nullum ergo partibile aptum natum est ad seipsum converti, ut totum convertatur ad totum. Si quid ergo ad seipsum est conversivum, et incorporeum est, et impartibile. Sed idem Proclus, propositione 146 ait, quod anima intellectiva super seipsam est conversiva, ergo ipsa non poterit esse extensa. Praeterea, forma, quae non dependet a materia, non extenditur extensione materiae; quia eo ipso, quod non dependet ab ea, non oportet quod ipsam consequatur extensio, vel alia accidentia, quae per se materiam consequuntur; sed anima rationalis non dependet a materia, cum possit esse naturaliter a materia separata, etiam quia in materia existens sibi competit talis actio, in qua omne materiale transcendit. Praeterea, forma, quae est essentialiter et formaliter spiritualis, non potest esse extensa, quia spirituale, cum sit totum simul, non potest habere partem extra partem, sed anima intellectiva est essentialiter et formaliter spiritualis, ergo etc. SED OPPOSITUM istius conclusionis, quidam probant sic. Omne illud, quod est subiectum quantitatis, necessario est

extensum, quia omne subiectum afficitur suo accidente, sed anima rationalis, sicut et quaelibet alia forma substantialis, est subiectum quantitatis, quia vel totum compositum, secundum quod totum est subiectum quantitatis, et sic habetur propositum, quia utraque pars compositi erit subiectum quantitatis, vel totum dicitur esse subiectum secundum alteram sui partem, haec pars non poterit esse materia, ergo erit forma. Quod autem non possit esse materia, hoc probant quintupliciter. Primo sic, si materia reciperet quantitatem secundum se, et non mediante forma substantiali, tunc materia prius haberet esse alterius generis, puta esse quantum, quod est de genere quantitatis, quam esse proprii generis, puta esse substantiale, quod habere non potest nisi praehabita forma substantiali; cum igitur hoc sit impossibile, oportet quod material subiiciatur quantitati mediante forma substantiali, sicut corpus subiicitur colori mediante superficie. 2. Secundo sic: quantitas, sicut et quodlibet aliud accidens requirit subiectum existens in actu simpliciter, in potentia tamen ad actum secundum quid, sed cuilibet supposito praedicamenti substantiae illa magis competunt ratione formae, quam ratione materiae. 3. Tertio sic. Effectus communis aliquibus requirit causam communem in eis communiter reperibilem, sed quantitas reperitur communiter in inferioribus corporibus et caelestibus; cum igitur in caelo non sit materia, oportet quod quantitas tam istis, quam illis insit ratione formae. 4. Quarto sic: substantia prima est subiectum omnium accidentium, ut patet in libro Praedicamentorum. Sed materia cum forma est substantia prima, propter quod dicitur 1. Physicorum, quod materia cum forma est causa omnium accidentium, quae fiunt in ea, sicut mater. 5. Quinto sic: idem est subiectum dimensionum terminatarum et internatarum, sed materia non est subiectum dimensionum terminatarum, nisi per formam, quia suppositum non habet esse terminatum, nisi per formam, ergo nec interminatarum. Praeterea, omne quod informat subiectum quantum, et extensum, quia omne, quod recipitur ad modum rei recipientis recipitur, etiam quia oportet esse conformitatem inter perfectionem et perfectibile. Sed dato quod anima rationalis non esset subiectum quantitatis, tunc oportet necessario quod ipsa reciperetur in materia quanta, et informando eam coaptaret se cuilibet parti eius, ergo necessario esset extensa. Praeterea, si alicui manco tribueretur a Deo miraculose una manus, aut huiusmodi manus animabatur per animam de novo creatam, et sic unus homo haberet duas animas eiusdem rationis, quod est inconveniens. Aut anima praeexistens movebit ad illam partem de novo creatam derelinquens aliam partem, quam primo informabat, et tunc illa pars moreretur et fieret inanimata, quod similiter est inconveniens; aut manens in prima parte extendet se ad partem de novo creatam, et tunc habetur intentum, scilicet quod vere sit extensa. SED ILLA NON concludunt, quia omne extensum quantitate naturali, quae est de sphaera activorum et passivorum, etsi unum est actu, est tamen multa potentia, si ex sua divisione non corrumpitur. Et dico notanter quantitate naturali de sphaera activorum et passivorum, ad removendum instantiam de caelo, quod quamvis sit extensum, sic tamen est unum in actu, quod non est multa in potentia. Dixi etiam si ex sua divisione non corrumpitur, ad removendum instantiam, quae posset fieri de forma equi et ceteris consimilibus, quae si dividuntur corrumpuntur. Sed si anima humana esset extensa, hoc non fieret per quantitatem caelestem, sed per quantitatem existentem in sphaera activorum et passivorum, et ipsa secundum fidem est incorruptibilis, ergo quamvis anima Socratis esset una actu, ipsa tamen esset multa in potentia. AD PRIMUM dico ad minorem quod anima non est subiectum quantitatis, ita quod recipiat in se quantitatem subiective. Propter probationes autem sciendum, quod totum dicitur extensum ratione utriusque partis, aliter tamen, et aliter. Dicitur enim extensum ratione materiae, eo quod materia suscipiat quantitatem; ipsa enim est ratio susceptiva quantitatis, forma vero est ratio suscipiendi quantitatem, eo quod necessitet materiam ad habendam quantitatem, et cetera accidentia, sine quibus ipsa anima in huiusmodi materia non potest conservari. Non tamen est simile de anima et superficie, licet pro simili ab istis accipiatur, quia superficies sic est corpori ratio suscipiendi colores, quod etiam in se est ratio susceptiva eorundem colorum, propter quod etiam separata a corpore adhuc informatur colore, ut patet in sacramento altaris. Anima vero intellectiva sic est

corpori humano ratio recipiendi quantitatem, et cetera accidentia corporea, quod tamen non recipit in se huiusmodi accidentia, alias anima rationalis a corpore separata maneret extensa, sicut superficies separata manet colorata. Potest igitur dici compositum extensum ratione formae humanae, quia compositum ratione talis formae exigit in materia quantitatem. Et sic etiam intelligendum est illud philosophi 1. Physicorum. Materia subiecta cum forma est causa omnium accidentium, quae fiunt in ea. Et per hoc patet ad alias probationes. Assumitur tamen in tertia probatione falsum; quia in caelo est materia proprie dicta, ut patebit in 2. libro, distinctione 12. Ibi enim hanc materiam tractare intendo. Ad secundam rationem dicendum quod minor est falsa, quia anima prius naturaliter informat essentiam materiae, quamvis in eodem instanti materia recipiat quantitatem, cuius receptionis ratio est ipsa forma, modo quo iam dictum est. DICES FORTE, cum anima informat materiam quantam, oportet quod coaptet se partibus materiae quantae, alias non esset proportio perfectionis ad perfectibile. DICO QUOD sic coaptat se, quod est tota in toto, et tota in qualibet parte, sicut patebit in tertia conclusionem, et hoc sufficit ad salvandum huiusmodi proportionem. Non enim oportet, [143] quod anima rationalis sequatur in omnibus leges materiae, modo ceterarum formarum, cum ipsa sit immaterialis et incorruptibilis, nec educatur de potentia materiae, et in hoc differt ab aliis formis materiam informatibus. Ad tertium dicendum quod, sicut cum aliqua caro acquiritur per nutrimentum, tota anima incipit in ea esse, eo quod talis caro habet ordinem ad totum, et hoc fit sine motu et extensione ipsius animae, sic et in tali manu miraculose creata anima inciperet esse sine motu et extensione formali quadam praesentia, eo quod talis manus effecta esset pars illius totius corporis, in cuius qualibet parte secundum sui naturam est tota anima rationalis, et ipsum primo et per se informat, et per consequens quamlibet partem eius.

QUANTUM AD SECUNDUM principale, utrum quaelibet forma corporis praeter animam rationalem sit extensa? Dico quod formae corporis, hoc est formae, quae sunt in corporibus, sunt duplices. Quaedam enim sunt intentionales, et de his nihil ad praesens, quia in secundo distinctione 13, cum determinabo de luce corporali, de eis aliquid dicam. Aliae sunt reales et de his omnibus, quae sunt reales formae realiter materiam informantes, sive sint substantiales, sive accidentales, praeter animam intellectivam, dico quod sunt vere quantae, vel per se, sicut illae, quae sunt in praedicamento quantitatis, vel saltem per accidens, sicut aliae omnes formae corporales, quae si accidentales sunt, fundantur in materia mediante quantitate, et per consequens quaedam modum quantitativum fortiuntur per coniunctionem earum cum materia quanta. Si vero substantiales sunt, tunc recipient quantitatem, sicut et ipsa materia, cum ita possint esse ratio recipiendi quantitatem ipsi materiae quod etiam possunt esse ratio receptiva, et in se recipere quantitatem. Sed quia praesens quaestio mota fuit non de quacunque forma, sed de substantiali, nec de quacunque quantitate, sed solum de extensiva, quae magis proprie videtur esse continua, ideo praedictos terminos ad propositum restringendo, dico quod omnis forma substantialis est extensa praeter animam intellectivam. 1. Quia omnis forma, quae vere dividitur divisione quantitatis continue, vere extenditur extensione quantitatis continue. Sed omnis forma substantialis in sphaera activorum et passivorum vere dividitur divisione quantitatis continuae, ergo etc. Maior est nota; etiam minor patet de aliquibus, puta de formis elementorum. Divisa enim quantitate ipsius aquae, dividitur ipsa aqua, et per consequens dividitur etiam forma substantialis aquae, alias per ipsam divisionem generaretur, quod est derisorium dicere. Et eodem modo patet de formis mixtorum in vegetabilibus, quia partes decisa a suis totis, retinent animam vegetativam. Patet etiam in animalibus annulosis, quorum partes etiam decisa vivunt. Sed quia dubia aliquibus specialiter videtur illa minor in animalibus perfectis, ideo probo eam sic: illa forma, quae corrumpitur ex divisione quantitatis alicuius subiecti, vere dividitur ex divisione huiusmodi quantitatis, sed anima vere corrumpitur ex continua et multiplicata divisione quantitatis, cuiuscunque perfecti animalis, ergo vere dividitur. Minor est nota ad sensum. Maior etiam satis patet, quia non apparet quare per talem

divisionem corrumpetur, nisi per huiusmodi divisionem forma attingeretur. 2. Praeterea, forma quae sic educitur de potentia materiae vel de materia, quod tota educitur de tota, et pars de parte, vere extenditur extensione subiecti, sed omnis forma substantialis in sphaera activorum et passivorum praeter animam rationalem est huiusmodi, ergo etc. ISTA EST RATIO doctoris nostri, et impugnatur sic: forma substantialis naturaliter prius dat esse materiae, quam ipsa quantitas ergo educitur de materia non quanta, et per consequens minor est falsa, quia nec forma nec materia habet partes, nisi per quantitatem. AD HOC DOCTOR iuxta principia sua de facili potest respondere, quia ipse cum Commentatore tenet quod materia nunquam totaliter separatur a quantitate, et ideo secundum eum in nullo priori, forma substantialis informat materiam non quantam. Sed dato quod priori subiecto corrupto in puncto generationis omnia accidentia corrumpantur corruptione subiecti, sicut ego magis credo, tunc quamvis instantia sit multum apparens, tamen potest dici quod adhuc partes formae dicuntureductae de partibus materiae, quia nulla mora intercipitur nec temporis, nec instans, inter corruptionem et ipsam generationem, quia ergo nec tempore, nec instanti, materia fuit sine forma substantiali, nec etiam sine quantitate, ergo etc. Vel dicendum, quod ante prioris subiecti corruptionem tota materia disponebatur ad hoc, quod tota forma de ipsa educeretur et pars materiae disponebatur, ut pars formae de ipsa educeretur, ideo forma siceducta vere erit extensa; quia vere eriteducta tota forma de tota materia, et pars de parte. FORTE ITERUM dices, si nullum intervallum est inter generationem et corruptionem, nec temporis, nec instantis, tunc generatio et corruptio erunt in eodem instanti. DOCTOR noster negaret consequentiam, quia ut patet in scripto suo super 8. Physicorum, ipse vult, quod ultimum temporis correspondet corruptioni. Sed instans, ad quod immediate tale tempus copulatur, correspondet generationi tanquam dignius digniori, modo inter tale tempus et huiusmodi instans nullum cadit medium. Sed quia corruptio est aequae instantanea sicut generatio, non video quod tempus quantumlibet ultimum, vel brevissimum, possit corruptioni correspondere, ideo concedo consequentiam ad praesens, nec reputo consequens esse impossibile. SED IMPOSSIBILITAS forte probatur mihi sic. Termini impossibiles non possunt esse simul in eodem instanti, generatio et corruptio sunt termini impossibiles. RESPONDEO, quod generatio et corruptio possunt capi dupliciter. Uno modo respectu unius et eiusdem rei, et sunt impossibiles, natura enim rei non patitur, quod in eodem instanti, quo ignis generatur, in eodem instanti idem ignis corrumpatur. Alio modo respectu alterius et alterius rei, et sic sunt compossibiles naturaliter, quia nullam ad invicem habent repugnantiam. Cum igitur generatio, de qua loquimur, et corruptio non sint respectu eiusdem rei, ergo minor fuit falsa. Sicut enim motus augmenti, et motus alterationis simul sunt in eodem subiecto, eadem enim res simul potest augeri et calefieri, eo quod illi duo motus nullam habent ad invicem repugnantiam, sic in eadem materia simul potest esse corruptio aeris et generatio ignis, vel econverso, eo quod tales mutationes sumptae respectu diversorum terminorum nullam habent ad invicem repugnantiam. Necesse enim est, quod sint in eodem instanti generatio et corruptio isto modo sumptae, quia natura non generat unum, nisi corrumpendo alterum, ideo expulsio unius formae et introductio alterius oportet quod simul sint, sicut enim cum clavus clavo expellitur, simul cum unus impellitur alter expellitur, sic etc. SED CONTRA conclusionem in se sunt duae opiniones. Una antiqua, quod nulla forma substantialis sit extensa, quia omne quod extenditur, aut extenditur secundum se, et sic sola quantitas est extensa, aut extenditur ex eo quod recipitur in extenso, sic albedo est extensa, sed forma substantialis primo modo non extenditur, cum non sit quantitas, nec secundo modo, cum recipiatur immediate in nuda materia. SED ILLA opinio sensui contradicit, quia nulla generatione facta ipsius aquae, una aqua dividitur in duas partes aquae, quae ab invicem deportantur utraque parte manente aqua, quod esse non posset nisi forma substantialis aquae fuisset extensa. RATIO ETIAM procedit ab insufficienti divisione, quia si esset sufficiens, tunc materia nunquam posset extendi, quia ipsa nec est [144] quantitas, nec recipitur in quanto, cum ipsa sit omnium receptiva, et in nullo possit recipi. Non igitur solum aliquid extenditur eo, quod

secundum se sit quantum, vel quia recipitur in quanto, sed etiam quia ipsum recipit in se quantitatem sicut materia, vel quia educitur de quanto, sicut forma substantialis, praeter animam intellectivam. SECUNDA est opinio, quod nulla forma animatorum est extensa. Quod probatur primo sic: quia forma non aequaliter respiciens totum et partem, non est extensa. Sed nulla forma animatorum aequaliter respicit totum et partes, quamvis enim quaelibet pars ignis aequae vere dicatur ignis, sicut totus ignis, tamen quaelibet pars animalis non dicitur animal, ergo nulla forma animatorum extensa. 2. Praeterea, forma requirens partes diversarum rationum, non poterit esse quanta, quia de ratione quanti, ut quantum est, est, quod habeat partes eiusdem rationis, sed omnis forma animatorum requirit partes diversarum rationum, igitur etc. 3. Praeterea, forma non habens easdem operationes in toto et in singulis partibus, non est quanta, formae animatorum non habent easdem operationes in toto et in singulis partibus, ergo etc. SED NEC ista opinio videtur esse vera, quia ad sensum videmus quod plantae et quaedam animalia decisa vivunt, tanquam in his anima existente actu quidem una potentia vero plures, ut dicitur 2. De anima. Illud autem non contingeret, nisi forma substantialis in illis esset extensa. AD RATIONES dicendum, quod si forma educitur de potentia materiae et dividitur divisione materiae, tunc necessario oportet quod extendatur extensione materiae, non obstante inaequali denominatione quo ad primam rationem, nec partium diversitate quo ad secundam, nec varietate operationum quo ad tertiam rationem. Si enim prima ratio concluderet, tunc forma circuli non esset extensa, quia non aequaliter denominat totum et partem, nec aequaliter omnes partes. Non enim quaelibet pars circuli est circulus, nec quaelibet pars circuli est semicirculus. Si secunda concluderet, tunc forma caeli non esset extensa, cum partes suae sint diversarum rationum, ut patet ex varietate causatorum. Aliquae enim parte caeli sunt causa frigoris, aliquae vero caloris. Et similiter de forma domus, et de multis aliis. Si tertia concluderet, tunc forma grani tritici non esset extensa, quia planum est quod in cuspide est alterius operationis, quam in alia sui parte. Experientia enim docuit quod formicae quadam naturali industria grana quae comportant corrodunt in cuspide, ne germinent.

QUANTUM AD TERTIUM principale dico quod anima humana est tota in toto corpore, et tota in qualibet eius parte. Quia illa forma, quae indivisibilis permanens, informat totum et quamlibet eius partem, illa est tota in toto, et tota in qualibet eius parte. Sed anima intellectiva est huiusmodi, ut patet ex praecedentibus, igitur etc. 2. Item, Beatus. Augustinus in Sermone de imagine illud expresse ponit, et 6. De trinitate.

SED CONTRA HANC VERITATEM quidam argunt multipliciter.¹ 2. Primo sic. Si tota anima esset in una parte, tunc nihil ipsius animae esset in alia parte, et consequentia probatur, quia totum est, extra quod nihil est. 2. Praeterea, abscisa manu ab humano corpore, si tota anima esset in illa manu, tunc aut tota corrumpereetur, aut maneret in illa manu, aut iret ad aliud corpus, aut rediret ad corpus, a quo abscinditur. Non primo modo, cum sit incorruptibilis et tota remaneat in residuo corpore. Nec secundo modo, quia tunc manus illa separata viveret. Nec tertio modo, quia tunc una anima vivificaret duo corpora. Nec quarto modo, quia nihil moveretur ad illud, in quo perfecte est, sed anima perfecte manet in corpore residuo, non obstante manus abscissione, ergo non fuit tota anima in praedicta manu. 3. Praeterea, cum partes corporis sint infinitae, idem creatum indivisibile esset in infinitis partibus, quod est impossibile, ergo etc. 4. Praeterea, illi datur esse actuale, in quo est tota anima, si ergo tota anima esset in qualibet parte, quaelibet pars haberet esse actuale, quod est contra rationem partis, ut pars est, quia secundum philosophum partes sunt potentia in toto. 5. Praeterea, id quod est in aliquo ita modico, quod non potest esse in minori, non est indivisibile, nec per consequens potest esse totum in qualibet parte eius, in quo est. Sed anima humana poterit informare ita modicum corpus, quod non posset

¹Ger. Carmelita, et quidam alii.

minus informare, ergo etc. Maior patet, quia receptivum eius, quod est indivisibile, nunquam potest esse nimis modicum. Minor etiam patet 2. De anima², ubi dicitur, quod omnium natura constantium certa est mensura magnitudinis. 6. Praeterea, anima sensitiva hominis non est tota in qualibet eius parte, ergo nec intellectiva. Antecedens supponitur esse notum. Consequentia probatur, quia quae sunt idem realiter, illud, quod convenit uni, et alteri. Sed sensitiva et intellectiva sunt idem in homine realiter, cum in homine sit tantum una forma substantialis. 7. Praeterea, si anima humana esset tota in toto corpore, et tota in qualibet eius parte, tunc omnes potentiae animae erunt in qualibet parte corporis, quia ubicunque est subiectum, ibi necessario sunt naturales proprietates subiecti, sed potentiae animae sunt suae proprietates naturales. 8. Item posset aliquis dicere quod haec conclusio contradicit primae, quia anima hic appellatur tota, cum ergo ratio totius sumatur in ordine ad partes, nec possit aliquid esse totum, quod nullam partem habet, videtur quod haec conclusio destruat primam, in qua dicebatur quod est indivisibilis et penitus inextensa. 9. Praeterea, omne totum est maius sua parte, sed anima non potest dici maior aliqua parte, cum nullam habeat, iuxta positionem primae conclusionis, ergo idem, quod prius. 10. Praeterea, sicut quod est hic, non est alibi; sic quod est secundum se totum in aliquo determinato situ, nihil sui poterit esse alibi, seu in alio situ, sed manus hominis denotat alium situm a pede, igitur si tota anima est in manu, nihil sui erit in pede, ideo etc. SED ISTA SOPHISMATA non concludunt. Ad primum dicendum quod animam esse totam in aliquo potest intelligi dupliciter. Uno modo sicut in proprio perfectibili. Alio modo sicut in eo, quod ordinem habet ad proprium perfectibile. Primo modo ubicunque est tota anima extra illud, nihil est ipsius animae: quia ut sic totum corpus humanum respondet ipsi animae tanquam suum proprium, et per se perfectibile. Secundo modo tota anima potest esse in aliquo, et tamen ipsa tota potest esse extra illud, ut sic enim tota anima est in qualibet parte, et tamen a nulla parte determinatur ipsa anima ad esse tantummodo in illa parte, cum sit per accidens in ea. Ad secundum dico, quod secundum eandem formam argumenti eadem difficultas sequitur contra te, qui dicis animam esse extensam, quia quaero de parte animae quae est in manu dum abscinditur, aut illa pars animae corrumpitur, et sic tota anima illa esset corruptibilis, quia aequa ratione aliae partes per huiusmodi divisiones essent corruptibiles, quia omne totum est corruptibile, cuius quaelibet pars est corruptibilis. Aut revertitur ad corpus, tunc duae partes formae eiusdem rationis informarent idem, sive eandem partem perfectibilis. Dico ergo ad formam argumenti, quod anima per se est in toto corpore, in nulla autem parte est nisi inquantum illa pars habet ordinem ad totum. Si ergo aliqua pars nunc habens ordinem ad totum, postea decidit a tali ordine, sive per abscisionem, sive per arefactionem, sive per quamcunque aliam viam hoc fiat, tunc anima desinit esse in tali parte, non per motum, vel mutationem sui, sed per mutationem illius partis. Ad tertium dicendum, quod quamvis partes mathematicae sumptae sint infinitae, tamen [145] partes naturales corporis humani finitae sunt, quia est dare minimam carnem, ut patet I. Physicorum.³ Posset igitur dici, quod partes habentes ordinem ad totum naturale sunt partes naturales, et in illarum qualibet parte est tota anima, et cum non sit in parte nisi ut habet ordinem ad totum naturale, non oportet eam esse in qualibet parte mathematica distincte, quia nec illae partes distincte signari possunt secundum tota earum multitudinem. Posset etiam dici quod non est inconveniens aliquod creatum simul esse in infinitis, quae in potentia tantum sunt et non actu. Ad quartum dicendum quod illi datur esse actuale, in quo est ipsa tota anima per se, et tanquam in proprio perfectibili, non autem illi, in quo est tota anima per accidens, puta ut ordinem habet ad suum proprium perfectibile. Primo modo anima est in toto corpore organico physico, ut patet 2. De anima. Secundo modo est in parte. Ad quintum dicendum, quod maior est vera de eo, quod est in aliquo, secundum commensurationem localem, non autem de eo, quod est in aliquo secundum proportionem formalem, sive perfectionalem. Sic enim anima rationalis quamvis non sit qualis, seu

²Tex. c. 41

³Tex. c. 36

accidentalis, sed substantialis forma, requirit tamen debitas qualitates suum susceptible disponentes, sic quamvis non sit quanta, requirit tamen debitam quantitatem in suo perfectibili, cum omnium natura constantium sit debita mensura magnitudinis et augmenti, ut dicitur 2. De anima.⁴ Ad sextum dicendum, quod anima sensitiva in homine potest sumi pro essentia animae, et sic est idem, quod intellectiva, et ut sic, non extenditur. Alio modo sumitur pro potentia sensitive, et sic extenditur extensione organi, in quo fundatur subiective. Ad septimum dicendum quod consequentia est falsa, loquendo de potentiis sensitivis quia illae non sunt in anima sicut in subiecto, seu subiective, sed solum sicut in radice, in organis autem fundantur subiective. De intellectu autem et voluntate potest dici quod mediante essentia animae, in qua immediate fundantur, sunt in toto corpore humano et in qualibet parte corporis, ut habet ordinem ad totum. Ad octavum dicendum quod cum dicitur tota anima, ly ‘tota’, quantum ad praesens spectat, potest intelligi dupliciter. Uno modo de toto integrali composito ex partibus quantitativis. Alio modo de toto virtuali composito ex partibus potestativis. Primo modo, non potest dici anima humana in aliquo esse tota positive, cum nullas habeat partes quantitativas, sed privative, puta tota anima dicitur esse in aliquo, quia nihil est ipsius animae, quod non sit in eo. Sicut etiam Deus dicitur esse totus in aliquo, quamvis nullas habeat partes quantitativas. Secundo modo anima potest dici totum positive, et potest dici tota in aliquo inquantum nulla potentiarum immediate in ea fundatarum excluditur ab illo. Ad nonum dicendum, quod ut anima habet partes positive, sic est maior qualibet sua parte, et quia tales partes habet virtuales, bene sequitur, quod anima sit maioris virtutis, quam quaecunque sua potentia per se sumpta. Ad decimum patet per ea, quae dicta sunt ad primum et ad octavum. Potest etiam dici, quod aliquid esse in determinato situ potest intelligi dupliciter. Uno modo sicut, ita quod commensuretur loco illius situs. Alio modo non sicut et isto secundo modo maior est falsa, nam totum corpus Christi est in hoc determinato situ, puta in hoc altari. Attamen quia non est ibi sicut, ideo non obstante, quod sit in isto altari, etiam est in pluribus aliis locis. Sic anima intellectiva sive rationalis in nulla parte corporis est sicut, ergo non obstante, quod tota sit in una parte, sibi non repugnat simul esse in aliis partibus. FORTE DICETUR, quod anima etiam in toto corpore, quod per se informat, non est sicut, ergo secundum istam responsionem simul esse posset in pluribus corporibus. RESPONDEO, quod quamvis anima non sit in toto corpore sicut et circumscriptive, tamen est in toto diffinitive et determinative. Propter quod, dum est in isto corpore, non potest esse in alio, et hoc via naturae. Utrum autem aliqua per divinam potentiam possit simul esse in pluribus corporibus, patebit Domino concedente in lectura quarti libri. AD ARGUMENTUM principale in oppositum dicendum, quod non est inconveniens unum, et idem moveri contrariis motibus dum movetur per accidens. FORTE DICES clavus infixus navi movetur per accidens ad motum navis, et tamen impossibile est, quod simul moveatur sursum et deorsum. RESPONDEO, quod aliquid potest dupliciter moveri per accidens. Uno modo, quod sic movetur per accidens, quod tamen motus formaliter ipsum attingit, et in ipso recipitur subiective, et sic unum, et idem quamvis moveatur per accidens, tamen non potest naturaliter simul moveri contrariis motibus, quia tunc contraria simul recipientur in eodem. Alio modo, quod ipsum sic movetur per accidens ad motum eorum, in quibus est, quod tamen motus ipsum non attingit, nec subiective motus in ipso recipitur, et sic unum et idem potest moveri contrariis motibus simul et semel. Unde si duae lineae copulatae ad eundem punctum possent taliter disponi, quod una moveretur altera quiescente, idem punctus posset dici moveri ad motum unius, et quiescere ad quietem alterius sine aliqua repugnantia, eo quod motus non reciperetur in se subiective. Et eodem modo de motibus contrariis, si una linearum moveretur sursum, et alia deorsum. Cum ergo clavus infixus navi recipiat in se motum subiective, et non anima, ideo non est simile de clavo et de anima. Vel posset dici quod, sicut anima non est in parte, nisi in ordine ad totum, sic non movetur per accidens ad motum partis,

⁴Tex. c. 41

sed ad motum totius. Cum igitur totum non possit simul moveri contrariis motibus, ergo nec anima. Illa est solutio doctoris nostri, et eam possum exemplo declarare. Planum est enim quod locus formaliter sumptus, nec movetur per se, nec per accidens, quamvis locus materialiter sumptus moveatur per accidens, ut patet 4. Physicorum, cuius non possumus aliam causam assignare, nisi quod locus formaliter sumptus non fundatur in corpore ambiente simpliciter et absolute, sed solum ut illud corpus habet ordinem ad universum, et ideo ad motum talis corporis nec movetur per se, nec per accidens, universo non transmutato, locus vero materialiter sumptus, puta ultima superficies corporis ambientis, quia absolute fundatur in tali corpore, ideo movetur saltem per accidens ad motum talis corporis. Sic quia anima non est in parte, nisi inquantum talis pars ordinem habet ad totum, ideo nec per se, nec per accidens movetur, nisi moveatur totum. Et ut diximus quod unum et idem simul, et semel movetur motibus contrariis per accidens secundo modo dictum, patet in corpore Christi, quod ut habet esse in sacramento simul movetur sursum et deorsum, sicut quando unus sacerdos elevat corpus Christi, alter sacerdos elevatum inferius reponit, sic anima dicitur moveri per accidens ad motum corporis, quod informat, quod tamen subiective ipse motus non recipitur in ipsa anima, ipsa enim non potest esse subiectum motus corporalis, cum ipsa sit indivisibilis, et motus continuus sit et divisibilis.